

Hierin fehlten Nr. 1-3
am 10. 4. 1917 Suchier.

37.
35

MALVM HYPOCHONDRIACVM.

INTER
INSVLTVS HYPOCHONDRIACOS
DELINEAVIT

EXPERTVS
G. H. RICHERTZ,
PAST. JACOB.



A. O. R. MDCCLVIII. MENSE NOVEMB.



LVBECAE.
TYPIS GREENIANIS.

MALVM

HYPOCHONDRIACVM

IN

INSERVVS HYPOCHONDRIACOS

NOBILIA VITAE

LIBER

G. H. RICHERT

LEON. JACOB



WOLFFENBÜTTEL

—————

LIBRARIE

GENEVAE





Est crudele malum, nullis medicabile succis,
Monstrum horrendum, informe, ingens, lenimi-
nis expers,
Quod multis mirisque modis Hypochondria uexat.
Hoc Tibi, fert animus, depingere carmine, Lector!

Carmine, quod medio morbi feruentis in astu
Conditur, et, referens praesentia fata parentis,
Nil graue, nil elegans, nil denique spondet acutum.
Vos, quibus imprudens diuortia publica quondam
Indixi, (*) o Latiae Musae! mea prisca uoluptas,
Quae mihi sollicito tot leniuistis amaras,
Ex misero imprimis criundas corpore, curas,
Inque hypochondriacis insultibus optima dulci
Carminis influxu solamina saepe tulistis,
Si ueniam mereor, faciles ignoscite Vestro,
Et date, jam ueteri renouato foedere, coeptum
Auspiciis uestris absoluere posse laborem.
Si tamen haud medica methodo mea Musa perorat,
Aut forte in leges impingere creditur artis;
Morborum Artifices! mihi parcite, quaeso, Poetae.
Sola meos tristis creat experientia uersus.

* 2

Cum

(*) A. 1753, in carmine gratulatorio ad suauissimum & probatissimum Amicum nostrum, DN. ION. DAN. OYERBECKIUM, Conrectorem tunc Neo-electum.



Cum Deus, ipse bonus, qui nil male fingere nouit,
 Omnipotente manu primum formasset Adamum,
 Moxque incorrupta de massa sumeret Euam;
 Tunc homo, coelestis donatus imagine patris,
 Integer ac omni uiuebat parte beatus.
 Non modo diuino gaudebat lumine felix
 Spiritus, et corpus quoad omnia membra uigebat.
 Nondum incompositi tranquillo in pectore motus,
 Cura, metus, lior, spes fallax, ira, libido,
 In uegeto puros utiabant corpore succos.
 Sed dolor et tristes aberant, mala noxia, morbi,
 Ut per salua animus regnaret membra serenus.
 Ah! piget humanam meminisse hoc tempore fortem.
 Vix Protoplasti summi patefacta Tonantis
 Infausto morsu uiolarant iussa rebelles;
 Mox morale malum, miserandæ sortis origo,
 Inde uenenatum totum prorupit in orbem.
 Non modo mens hominum peccato infecta laborat;
 Sed quoque fatalis primorum culpa parentum
 Transiit ad corpus, quod abhinc mortale, caducum,
 Debile, marcescens, multis penetrabile morbis,
 Et tandem exuta putrescens mente repertum est.
 Heu! quot Chiliades hinc emerfere malorum,
 Quæ miserum cruciant corpus, tandemque trucidant,
 Ut taceam leuiora, breui capientia finem,
 Quot diuturna homines mala uexant, horrida dictu!

Sunt

Sunt surdi, muti, coeci, manique miselli.
Hinc grassantur Hydrops, Tabes, Arthritis & Asthma,
Hernia, Nephritis, Scabies, Gangræna, Mania,
Nec tamen his ardens coelestis iudicis ira
Exfatiata fuit, sed complementa malorum
Addidit, infelix nimis et miserabile monstrum,
Nempe Hypochondriaci quod constat nomine morbi.
Hæc quasi congeries cunctorum sola malorum
Completa humanæ facit infortunia gentis.
Hæc immoreris si sola inflicta fuisset,
Jam mortale genus miserum fatis inde maneret.
Creditur, iniustis hæc peccatoribus olim
A iusto demum dictata iudice poena,
Tota infernalis stygis exultasse caterua,
Rexque suos Erebi sic demulnisse ministros:
O! gaudete mei, jam de mortalibus actum est.
Hoc si nempe malum per uastum increbruit orbem,
Jam certa et facilis nobis uictoria cedit,
Jam locus infidiis nostris, jamque ignea tela
Intus in humanis firmissima cordibus hærent.
Jam pauor atque metus, jam desperatio mentis,
Carnificina hominum, mea gaudia, sponte sequuntur.
Aut si forte pius tandem eluctabitur inde,
Pro lubitu miserum tamen excruciare licebit,
Nec concepta agmen spes infernale sefellit.
Ex quo triste malum cruciare Hypochondria coepit,
Gaudia mille stygi uenerunt, mille triumphî.

Sunt inter costas in summo abdomine partes,
 Quas Physicorum illi, qui membra humana secando
 Corporis indagant structuram, Hypochondria dicunt.
 Hæc, si contiguus spasmis constricta premuntur,
 Aut si vitales, & in hac regione latentes,
 Liberum & æqualem tentatum a sanguine cursum
 Obstructæ nimium nequeuntmittere uenæ,
 Infinita suis pariunt incommoda mendis.
 Non uacat, in morbi primas inquirere causas,
 Forte hypochondriaci proles infausta parentis
 Ex utero fontis jam sanguinis extitit hæres;
 Forte requisiti longa intermissio motus,
 Vitaque continuo dudum transacta sedendo;
 Qua nimia infernas premit inclinatio partes;
 Forte addiscendi juvenilis & improbus ardor,
 Et uigiles noctes, & lucubratio multa;
 Forte cibi & potus nocui diurnus abusus;
 Forte aliæ causæ damnum fatale crearunt.
 Certe difficili uitalis lympha meatu
 Hinc inde obstructas uenas abdominis ægre
 Et lente penetrans, est proxima causa doloris.
 Hoc sacro myrias manat de fonte malorum.
 Nam uelut ambiguus Proteus, qui mille figuras
 Induit, innumeris crudelis noxa furorem
 Exferit usque modis, quos exhaurire peritus
 Nè numerando quidem, nedum exponendo, ualebit.
 Describant alii, uexata Hypochondria passi,

Quali-

Qualiter experti fuerint symptomata morbi;
Propria, quæ feci, tantum experimenta docebo.


Motus inæqualis per uenas sanguinis imas
Excitat immensas in toto corpore turbas.
Jam nimium lento per uenas flumine serpit,
Atque retardatus passim stagnare uidetur;
Viribus hinc sumtis, objecta repagula rumpens,
Aestuat, et uenas uiolentis ictibus inflat.
Nunc urgente rigent extremæ frigore partes,
Dum simul immodico candescunt ora calore;
Nunc totum interno corpus feruescit ab igne,
Sudor ut excussus largissimus undique manet.
Hinc tremuli cordis motus, quod palpitat intus;
Hinc dolor, expanso nunc in scrobe pectoris hærens,
Nunc uero fibras in toto abdomine pressans;
Hinc quoque pulmones confrecti; hinc pectus anhelum,
Perque coarctatas mala respiratio fauces;
Hinc caput infestans stagnantis sanguinis æstus;
Hinc stupor; hinc oculi ueluti caligine quadam
Obducti; hinc animi uires uertigine fractæ;
Hinc fere continuus tinnitus in aure susurrans;
Hinc uigiles noctes, omni que sopore carentes;
Hinc abrupta quies, et tetra insomnia saltem,
Horrenda pavidum quæ pectus imagine terrent;
Hinc quoque neruorum genus omni debile parte;
Hinc nimius sudor, minimos qui largus ad omnes
Corporis aut animi motus prorumpit in artus;

Hinc



Hinc uaga per totum serpentina Rheumata corpus,
 Atque catarrhales feruente in sanguine febres.
 Interdum ignorans, quid in hoc discrimine tentet,
 Dux Hæmorrhoides natura urgere uidetur.
 Ast, in conatu quoniam subsistit inani,
 Nec ualet intentum penitus contingere finem;
 Horrida per læsos congestio sanguinis artus
 Majores sumit uano ex tentamine uires.
 Debilis accedit stomachus, nimioque laborans
 Ex acido, quod dum uitiose uiscera replet,
 Sapius eructans infestat sorda saporem.
 Ego quidem latrat, sed recte munere fungi
 Nescit, & exceptam cupide male digerit escam,
 Cùmque chylum aut sanos deberet gignere succos,
 Viscera inutilibus seu crudis fecibus implet.
 Laxior hinc raro, plerumque adstrictior alius;
 Hinc intestini uitata per illa flatus,
 Murmure qui longo resonantes intus oberrant,
 Et nisi per ructus aut inferiora soluti
 Turpiter erumpant, immania tormina gignunt.
 Hinc tandem exsucco macies in corpore tanta,
 Ut sine carne cutis uix arida uestiat ossa.
 Crebra repentinæ taceo præfagia mortis,
 Quam, licet haud raro uana expectatio fallat,
 Spastica sæpe tamen symptomata, numme minantur?
 (Nam nocituri hoc est,) miserando an rectius ægro
 Ceu placitum fausto promittunt omine donum?
 Certè ego festinum nil prorsus abhorreo fatum,

Vt

X  X

Vt uel sponte mea, diuini muneris instar,
Sit mihi sit uelox, modo felix, transitus! optem.

Parua tamen refero, multo peiora relatis
Sollicito trepidans animus sub pectore sentit.
Nescio, quis uanus metus, aut quis Panicus horroꝝ
Exagitet dubia tremulam formidine mentem.
Semper ad occultum nequicquam prona timorem,
Semper & in rebus tamen irrequieta secundis,
Et pauet, & nescit, quæ sit sibi causa pauoris.
Summe Deus! quoties urgens præcordia torquet
Anxietas! quot monstra sibi mens territa fingit!
Quam pauida immanes affligunt pectora curæ!
Quot queruli moesto gemitus ex corde cientur!
Quot lacrymis, quid? quod sudoribus ora rigantur!
Tu modo cuncta uidens, & pectoris intima scrutans,
Tu modo cognoscis, quot clandestina misellum,
Quæ uix effari conatur, uulnera macent.
Adde, quod extemplo moueatur ad omnia bilis,
Et fere res nihili uehementem concitet iram,
Quæ pungens animum mala corporis insuper auget.

O anima infelix! quam fatum ad debile corpus,
Inque hypochondriaco damnauit carcere claudi.
Sit ratione potens, sit ueri gnara bonique,
Sit pia, sit sancte diuino credula uerbo,
Strenua decernat, nulli indulgere pauori;
Corporeis misere tamen obruta cedere spasms

Cogi.

Cogitur, atque minis spissi parere cruoris,
 Ceu mare tranquillum, propria gravitate quiescens,
 Vi tamen externa commotum saepe tumescit,
 Ut jactata alias immobilis unda procellis
 Aestuet, et sauos extollat in aequore fluctus,
 Ut quoque post longum semel exagitata furorem
 Nesciat ad solitam pacata redire quietem:
 Sic hypochondriaci sit mens licet ipsa serena,
 Et nihil interna prorsus sibi conscia labis,
 Attamen, enatis externo in corpore turbis,
 Aut variante sibi praescriptum sanguine cursum,
 Obstapet, et subito perterrita fluctuat aestu,
 Ut, semel exorto curarum abrepta tumultu,
 Turbatum longo uix pectus tempore sedet.

Vos, qui communem mentis cum corpore nexum,
 Aut uetus influxus physici systema negatis,
 Vos Hypochondriacus conuincat, quale uicissim
 Alterum in alterius motus exerceat aequum
 Imperium, nam si mens perturbata cruori
 Imperat, extemplo seruescit & aestuat omnis
 Aut simul ac contra leges in sanguine motus
 Vel constringentes oriuntur corpore spasmi,
 Vel modo praclusi cingunt praecordia status,
 Illico conspirans animus turbatur & horret,
 Nec nisi terrificas sibi concipit inde Chimaras,
 Frustra Philosophus, sanæ dictamina mentis,
 Frustra Theiologus diuini dogmata uerbi,

Nem.

ne Nempe paroxysmo ferente, opponit eidem,
Terrea coelesti dominatur machina menti,
Ut, quocumque trahat, misere prorepta sequatur.

Finge tibi hic hominem, mandato munere pressum,
Quod caput et cerebrum sedata ac libera poscit,
Quodque animi vires quamuis exercet ad horam.
Ah! miser iste suam prostratus mole laborat,
Nec fatis ex uoto partes, quas sustinet, implet.
Segnis ad officii tractanda negotia torpet,
Vix meditaminibus mens sufficit anxia sanis.
Si tamen officii ratio nihilominus urget,
Nec fatis, quæ tandem profert, nec acumine pollent.
Quicquid agat, quicquid meditetur, perficit agre,
Ut labor afflictum duplicato pondere presset.
Sic hypochondriacus, quem tot mala pessima uexant,
Sic miseram uiuit uitam, sic saepe beatam
Et mortem et metam curarum fessus anhelat.
Sisyphus, Ixion, et Tantalus, impia turba,
Quæ poenam in diro luere impietatis Auerno
Traditur, in nostrum quodsi reuocanda sit orbem,
Sed sub lege tamen, seu conditione seuera,
Ut pauidum membris animum conseruet in agris,
Inque hypochondriaco nunquam non corpore uiuat;
Credimus, ille suum sine fine uolubile saxum,
Iste rotam, hic sitiens fugientes fumeret undas.
Si tamen in duris hominum miseratio fatis
Afflictis aliquid saltem solaminis affert;

** 2

Ah!

Ah! hypochondriacis hoc, hoc quoque triste leuamen
 A potiore hominum coetu plerumque negatur.
 Nescit enim uulgus, quid lasa Hypochondria possint,
 Hinc mala uexati uix commiseratur amici,
 Sed uelut insanæ mentis deliria ridet.

Sunt, qui per stimulum carnis, Satanæque ministrum,
 Qui, statuente Deo, Paulum crudeliter angit, (*)
 Intellecta Viri cruciata Hypochondria censent. (**)
 Nec forte a sancti sensu scriptoris aberrant.
 Nempe malum hoc intus, ceu palus acutus et urens,
 Hæsitat, ac imis acta radice medullis
 Mille ferisque modis animum cum corpore pungit.
 Sane! hypochondriacus tam dira pathemata sentit,
 Quæ non inspiens modo uulgus ab hoste maligno
 Ipso inflicta putat, sed quæ Cacadæmonis ira
 Vix quoque re uera peiora infligere nouit.
 O! quoties homines, animarum credere nobis
 Dignati curam, longis angoribus acti,
 Impleuere meas lacrymosis questibus aures,
 Se stygii ipsius plagas sentire draconis.
 Quos ego pro Genii modulo solamine mulcens
 Talibus instructos monitis ante omnia misi:
 O! nolite mei tentamina credere uestra

Mox

(*) 2 Cor. XII. 7. (**). Duos, tam rei gnaros, quam de Physica sacra
 optime meritos, allegasse sufficiat Medicos, GE. WOLFG. WEDELIVM, in
 Exercitat. Medico-Philolog. Dec. VII. Exercit. 5. & Io. Iac. SCHEVCH,
 ZERYM, in Physica sacra, Tom. IV. ad h. l.

Mox inspirantis peruersi dæmonis esse,
 Quæ uos interdum tormenta pauescere cogunt,
 Non sunt inferni tela immediata tyranni.
 Corporis humores, uitio qui forte laborant,
 Nec penetraturo sat peruia uena cruori,
 Sanguinis ipsius labes, Hypochondria pressa,
 Sunt uerus Satanas, qui uos affigit et angit.
 Innenere fidem mea dicta, et saepe tremiscens
 Taliter edoctus sedatior inde recessit,

Unde tamen tanto datur in discrimine finis?
 Quis? quibus auxiliis grassantia damna leuabit?
 Vah! nondum inuenit fatalis noxa medelam,
 Cuncta sed eludens doctorum inuenta uirorum,
 Effrenata furit, nullis sanabilis herbis.
 Nullus enim Hippocrates, nullus Podalirius exstat,
 Qui didicit, docuitque ferum comescere morbum.
 Multa quidem pasfim media & medicamina dantur,
 Quæ Medicis aliquem præstabunt testibus usum;
 Sed lenire malum ualeant, radicitus illud
 Extirpare tamen nunquam coniuncta ualebunt.
 Martia præcipue, quæ ferra soluta ministrant,
 Quæque acidum absorbent, aut præcipitantia profunt.
 Nec repetita minus facta in pede sectio uenæ
 Creditur, insultus saltem cohibere futuros.
 Præ reliquis iusto laudantur in ordine motus,
 Et crebra affectas quatiens equitatio partes,
 (Heu mihi! cur, non lex, sed consuetudo tyrannus



Me uetat istius capere experimenta medelæ?
 Hinc iucunda hominum multum consortia prastant,
 Qui sermone, jocis, aut oblectamine iustorum
 Exhilarare animum curasque repellere norunt,
 Quæ tamen infelix morbi in feruoribus æger,
 Optima sollicitis alias lenimina curis,
 Ipse sibi nimium diffidens, anxius horret.
 Interea quæcumque tibi demum intus et extra
 Consilia adsciscas, aut qualia pharmaca sumas,
 Cuncta patum efficient, uix morbi infringere uires,
 Nescim immite malum penitus restinguere, possunt.
 Nam, uelut iromanis, Lernaus dicitur uno.
 Ex capite abscisso septem protrudere serpens:
 Sic hypochondriacum uirus, ceu Lerna malorum,
 Semper inexhaustum manet, ut, symptomate quodam
 Forte refrenato, mox plura emergere dicas.
 Vos modo, nonnulla saltem uirtute probatos,
 Vos, Pymontenses latices, laudare licebit,
 Quos quater ad leges uacuisque laboribus hausi.
 Nam mihi, cum pasta conjunctus mente salubris
 Potus aquæ, ad tempus corpusque animumque refecit.

Vos, o! qui medica polletis in arte, Galeni,
 Vos hypochondriaci communi nomine jamjam
 Vos obtestantur, per quæ sanctissima uobis
 Ah! omnes uires, omnes intendite netuos,
 Ut tandem inuenti ualido medicaminis usu
 Has hominum furias, hoc detestabile monstrum,


Viri-

Viribus ex toto conjunctis orbe fugetis.
Sic genus humanum nunquam peritura tropæa
Decernit uobis, totamq̃ Machæonis artem
Insignem meritis æterna laude coronat.
TE, quo nostra suo gaudet Germania Celso,
Doctus & ægrotus pariter quem suspicit orbis,
Inclyte WERLHOFF! Phœbique illustris Alumne,
Sive amet ingenias & amatas protegat artes;
Sive salutaribus languentes recreet herbis;
Sive rogaturis oracula præcius edat;
Quem sua Principibus summis medicina probauit,
Principibus dico, quos, cum moderamine rerum,
Stemmate, diuitiis, sceptris & honore coruscant,
Non tamen ex meliore luto, quam flebile uulgus,
Corpore sed fragiles, Deus & natura creauit:
TE mea præcipue compellat Musa decenter.
Si ualet, at multum ualet, in medicando malignos
Acquista TIBI docta experientia morbos;
Eja age! mitte leues noxas, ac Herculis instar
Hanc hypochondriacam Lernam Tibi sume domandam.
Non desunt alii, mediocria damna leuantes,
De tamen infirmis quid habet uictoria laudis?
Heroum est, hostes modo debellare feroces.
Ergo alios omnes Diis linque minoribus agros,
TV modo pro summa, qua clares, arte medendi
Cura hypochondriacos, & eris mihi magnus Apollo.

At



At uos, o! miseri, quoad ægra Hypochondria, fratres,
 Qui per mille graues curas, per mille dolores,
 Decernente Deo, uestros deducitis annos,
 In tamen his animum ne despondete pauentem,
 Ne date terga malis, sed contra-audentius ite,
 Durate, & uosmet rebus seruate secundis.
 Est Deus in summis certissimus ipse periculis
 Stator & adiutor, quique immedicabile uulnus,
 Quodque ferox omnes humanas respuit artes,
 Et sanare potest, sanaturumque spondit.
 Hujus inexhausto confidite semper amori.
 Hic uos inualidos diuino robore fulcit,
 Nec finit immensis uictos succumbere curis.
 O! passi mala dira, Deus dabit omnibus istis
 Optatum ac certum præfixo tempore finem.
 Tempus erit, quo mors durissima uincula rumpet,
 Vincula, corporea quæ mentem mole coercent.
 Tunc liber uolitans ex carcere Spiritus astra
 Occupat, ut propiore Deo sine fine fruatur.
 Tunc, quasi martyrium passos hoc orbe, futurus
 Vos cum martyribus sublimiter euehet orbis,
 Et supra multos alios, leuiores ferentes,
 Semper in illustri recreandos sede locabit.
 Angores, gemitus, fletus, lamenta, querelas
 Gaudia, concentus & iubilata sequentur.
 Quos miser hic paulum cruciat, quo uiuitis, orbis,
 Splendidus æternum post exhilarabit Olympus.



01 A 6513

ULB Halle 3
003 090 280





50

VD 78

VD 77







37.
35

MALVM HYPOCHONDRIACVM.

INTER
INSVLTVS HYPOCHONDRIACOS
DELINEAVIT

EXPERTVS
G. H. RICHERTZ,
PAST. JACOB.



A. O. R. MDCCLVIII. MENSE NOVEMB.

LVBECAE.
TYPIS GREENIANIS.